Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel:	Juristische Sammelhandschrift – Nürnberg, STN, Cent. II, 79
Signatur:	Cent. II, 79

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Alex. IIII. ad perpetuam rei memoriam. Incipiunt constitutiones Alex. IIII. De rescriptis.

Cum per nostram generalem clausulam quidam alii que frequenter in apostolicis inseritur litteris ut ultra II. III. vel IIII. in iudicium trahi non possint quorum nomina in primo citatorio debet exprimere impetrator. Nos ut omnibus in hac parte via fraudibus precludatur, duximus declarandum quod in singulis editis citatoriis ipsa eadem nomina impetrator exprimat et conscribat. Et si non nisi unum ipsorum tantum vel IIII. per huiusmodi primum editum citari contigerit, et scienter plures ad iudicium vocari fecit, ipse sexaginta solidos usualis monete iudici et quem in hac culpabilis fuit totidem vero reo, et si post factam citationem in cause processu desciverit, et infra VIII. dies non destiterint ab incepto quod illud non revocaverit ipsi citato vel reo infra unum mensem solvere teneatur. Quod si infra ius tempus non solverit, eo ipso maledictionem incurrant a qua nequaquam nisi prius illos persolverit liberentur, omne iudicium quo ad illos processum censentes prius esse nullum.

Alex. IIII. universis capitulis conventibus et collegiis ecclesiarum cathedralium. De electione.

Cum ad romanam ecclesiam que disponente domino super omnes alias ordinarie potestatis obtinet principatum ut potest omnium mater Christi fidelium et magistra cura principaliter pertineat earundem, decens immo urgens est in ecclesiis ad ministrationes ex iniuncto ipsius officii sponsis ecclesiarum munus consecrationis impendere, ut consummet spiritualem unionem inter ipsos, ne sponse viduate pastoribus ex hoc patiantur in spiritualibus lesionem, et dominici gregis oves lupus rapax invadat qui circuit querens quem devoret incessanter. Unde quia plurimi in cathedralium ecclesiarum electos assumpti consecrationem suam non absque animarum suarum periculo suscipere distulerunt hactenus et procrastinant (?) propter quod passe sunt grave et sustinent ecclesie dispendium in utrisque. Nos sub cuius cura ecclesie ipse consistunt volentes ipsarum indempnitatibus occurrere ut tenemur, de fratrum nostrorum consilio terminum sex mensium omnium ecclesiarum cathedralium electis duximus statuendum infra quem munus consecrationis suscipiant reverenter. Alioquin ex tunc si nullo impedimento detenti fuerint ab administratione spiritualium et temporalium noverint se suspensos. Cum vero suscepto consecrationis munere vel prefatum tunc reverterint prefectas ecclesias aliis sex mensibus viduatas ex tunc ecclesiis auctoritate presentium noverint se privatos. Et capitula collegia et conventus ad quos electio pertinet prefectorum super providendi de aliis auctoritate nostra liberam habeant facultatem. Non obstante indulgentia eis a quoquam et sub quacumque forma verborum concessa per quam aditus statuti huius possent in aliquo retineri.

Alex. IIII. ad perpetuam rei memoriam. De officio et potestate iudicis delegati.

Quia pontificali dignitate prelatis obvenientiam sacri officii excedunt plurimum deferri convenit et eos plurimis honorari decet utique ut cum a iudicibus vel conservatoribus a sede apostolica deputatis contra eos ad coactiones aliquas sive penas fuerit procedendum gradus et modestia in hiis processu servetur. Itaque eis quandam exiguam reverentiam supportata ingressus primo ipsius ecclesie vel sacerdotale interdicatur ministerium. Deinde ab officio suspendatur et subsequenter aggravetur censura ecclesiastica contra eos nisi aliter fieri suaserit iniuria et contumacia personarum sine culpa.

Alex. IIII. venerabilibus fratribus universis patriarchis archiepiscopis et episcopis. Dilectis filiis abbatibus prioribus decanis archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis necnon capitulis conventualibus et collegiis eorundem. De institutionibus.

Exacerbavit quorundam ambitio qui semper plus ambiens eo fit magis insaciabilis quo sibi magis indulgetur. Importuna improbitas causam dedisse noscitur quod in nonnullis ecclesiis decem in aliquibus vero XX in aliis pauciores aut plures sine sedis apostolice vel legatorum eius aut proprio motu capitulorum ipsorum seu aliorum ad quos eorum spectat receptio in canonicos sunt recepti qui nondum sunt adepti beneficia in eisdem. Sicque tales sub diutina cum multa sint expectatione manentes frustrati sepe quod de sua provisione fiduciam conceperant nec possunt consequi quod intenderunt. Et illi ad quos beneficiorum seu prebendarum in eisdem collatio spectare dinoscitur facultas adimitur eadem cum vacaverint personis ydoneis conferendi. Cum igitur apostolice sedis benignitas nullo affectu dirigi debeat in provisionibus clericorum quod eis consolatio sic proveniat ut ecclesiis dispendium vel turbatio non inferatur. Nos attendentes quod istorum numerositas que per importunitatem petentium in immensum excrevit in nullis [illegible] secundum datam eorum cum in pluribus ecclesiis tanta sit multitudo que excedat numerum prebendarum, cogimur excogitare remedium per quod ecclesiarum obvietur dispendiis et earum personis quies et tranquillitas pariatur. Habita itaque consideratione in dicti de fratrum nostrorum consilio duximus obviandum ut in ecclesiis in quibus plures quam IIII. recepti fuerint sine litteris dicte sedis vel legatorum eius auctoritate aut proprio motu capitulorum suorum aut aliorum ad quos receptio pertinet eorundem IIII. dumtaxat remaneant et sint canonici in eisdem. Receptiones factas de reliquis in dictis ecclesiis de fratrum nostrorum consilio penitus irritantes, decernentes eos ad quos in ipsis ecclesiis prebendarum seu beneficiorum spectat collatio ad provisionem reliquorum aliquatenus non teneri. Declaramus quoque auctoritate presentium ad omnem ambiguorum materiam removendam ut hii qui per litteras apostolicas in ipsis ecclesiis recepti fuerint canonici remaneant in eisdem usque ad quaternarium numerum supradictum et post receptos legatorum auctoritate vel per alios quoscumque in ipsis ecclesiis sunt recepti. Volumus autem ut si ultra IIII. ~~tantum primo recepti remaneant~~ auctoritate litterarum sedis apostolice in aliquibus ecclesiis recepti fuerint ex ipsis quatuor tantum primo recepti remaneant et prebendas seu beneficia iuxta sui ordinem receptionis nisi aliqui ex predictis quatuor eadem auctoritate recepti fuerint in aliquo potiores. Et si pauciores sunt quatuor qui per litteras apostolicas sunt recepti de aliis auctoritate legatorum dicte sedis vel motu proprio capituli seu quovis alio modo primo receptis in ipsis ecclesiis tot dumtaxat remaneant in eisdem quod quaternarius numerus impleatur. In illis vero ecclesiis in quibus aliqui solummodo per litteras legatorum prefate sedis vel capitulorum eorundem seu alios ad quos canonicorum spectat receptio recepti fuerint in canonicos in fratres quatuor tantum primo in eisdem receptos volumus remanere et in eisdem de prebendis vel beneficiis secundum in eisdem ecclesiis iuxta sue receptionis ordinem provideri. Cum autem posteritas vel prioritas receptorum huiusmodi in ecclesiis discerni non potest puta quia recepti sunt aliqui a capitulis ipsorum vel aliorum canonicorum ad quos receptio pertinet simul, ita quod nesciatur quis primo eorundem ius habeat canonie et cui primo vacatura prebenda vel beneficium debeatur vel forsitan conductum est inter ipsos ut in assecutione prebendarum vel beneficiorum eorundem vacantium nullus alteri preferatur. Illi tantum usque ad quaternarium numerum in singulis ecclesiis ubi talis receptio facta fuerit ius habeant canonie qui capitulo vel maiori et saniori parti eorum aut aliis ad quos spectat receptio magis ydonei videbuntur, quos infra III. menses post publicationem presentium eadem capitula vel maior et sanior pars ipsorum vel ipsi ad quos canonicorum predictorum spectat receptio approbaverint digniores. Alioquin ex tunc sanior pars ipsorum vel ad quos spectat provisio aut proximo superior si ipsi fuerint negligentes de prebendis vel beneficiis primo in eisdem ecclesiis vacaturis disponant. Caveant autem tamen ecclesiarum prelati capitula et collegia in quibus in ecclesiis prebendarum numerus beneficiorum quoque numerus institutus ne aliquem nulla in eorum ecclesia prebenda vacante motu proprio recipiant in canonicatum in fratrem ut canonicam possit